

faciant tamquam veri domini et patroni et legitimi possessores. Guadium quoque tibi predicto Roberto *etc.* dedi *etc.* Et ad maiorem defensionem dicte domus dedi tradidi et assignavi tibi predicto Roberto presenti et recipienti pro te et nomine quo supra instrumentum unum publicum continens qualiter Iohannes de Salpis. et Angelo f. qd. Nicolai de Magistro Ansisio, vir et uxor, ac Marcucius filius predictorum Iohannis et Angele barolitani cives. debita sollempnitate suffulti, vendiderunt et tradiderunt michi predictae ysabelle. predictam domum pro certo precio in dicto instrumento contento per nos dictis venditoribus exoluto, cedens et transferens in te predictum Robertum, et dictam uxorem tuam nostrosque heredes, omne ius, omnemque actionem realem et principalem, utilem et directam, constituens nichilominus nos per curiam in rem nostram. Unde voluntarie *etc.* obligavi predicto Roberto *etc.* omnia et singula bona mea *etc.* Contra que si fecero seu heredes mei facerent. promisi et conveni tibi predicto Roberto *etc.* nomine quo supra solvere tibi et dicte uxori tue, vestrisque heredibus. pene nomine uncias auri sex et totidem curie, predicto notario publico penam ipsam pro parte ipsius curie legitime stipulantis, qua pena quantumcumque soluta vel non soluta presens nichilominus instrumentum cum eadem adiectione pene et omnibus que continentur in eo semper in suo robore perseveret. Renunciando tibi predicto Roberto recipienti *etc.* Et iuravi tibi predicto Roberto *etc.* ad sancta dei evangelia corporaliter pro me tacta et predicta omnia semper rata et firma habere tenere et adimplere et contra non venire de iure vel facto seu modo quocumque. Preterea nos predicti Iudex notarius et testes subscripti fatemur predicta omnia vera esse, et coram nobis acta fore et sollempniter celebrata prout superius sunt expressa. Quod scripsi Ego predictus Angelus publicus Baroli notarius, quia prescriptis rogatus interfui et meo consueto signo signavi. (*Segue il segno*).